






DE  
EXPENSIS CRIMINALIBVS  
STRICTE SIC DICTIS  
COMMENTATIO.



SUBIVNCTA  
ADHORTATIONI CONSVETAE

AD

PIE CELEBRANDOS DIES  
FESTOS,

MEMORIAE

NATIVITATIS SALVATORIS  
NOSTRI


DICATOS,

A


IOANNE CHRISTIANO  
ESCHENBACH,

I. V. D. ET P. P. O.

ACADEMIAE PER HOC SEMESTRE  
RECTORE.



ROSTOCHII,  
LITTERIS ADLERIANIS.



7

1781, 7.

P 428.





EXPTNSIS CRIMINALIBVS  
STRICTE SIC DICITIS  
COMMENTATIO

APPROBATIONI CONSERVATA

PIE CILIBRIBUS DIES  
FESTOS

NATIVITATIS SALVATORIS  
NOSTRI

IOHANNES CHRISTIANUS


ACADEMIAE VNIUSERSITATIS  
HALLENSIS

MDCCCLXXXIII

185







ectoris in Academia nostra officium est, consuetudine longaeua introductum, vt instantibus diebus festis praecipuis piam eorum celebrationem commendet, et hac data occasione dogmatis cuiusdam explicacionem subiiciat. Quod ad primum attinet, prolixiori admonitione vix opus erit. Nemo sane, religioni nostrae additus, ignorabit, quantum SALVATORI NOSTRO debeamus; nemo itaque eorum, qui Almae nostrae nomen dederunt, dies hosce, quos ecclesia christiana memoriae natiuitatis illius sanctos esse iussit, praeterlabi sinet, quin PATRI ET FILIO gratias debitas persoluat.

Alteram officii partem impleturus doctrinas iuridicas, quae cum festo, quod scribendi occasionem subministravit, connexionem quandam habent, vel aliquo modo huc trahi possunt, ab aliis iam occupatas inuenio. Malui itaque thema quoddam, quod curatori declaratione adhuc indigere videbatur, proponere, quam ea, quae ab aliis iam satis superque explicata sunt, sine fructu repetere.





DE  
EXPENSIS CRIMINALIBVS  
STRICTE SIC DICTIS.



§. I.

**D**octrinam de expensis criminalibus nec in Nemesi Carolina ita definitam esse, vt omnis scrupulus in quolibet casu obtinenti eximatur, nec a Doctoribus conformiter tradi, inter omnes constat. Recentiores <sup>a)</sup> Icti primum distinguere solent *expensas criminales stricte sic dictas* ab expensis processus criminalis. Illas vocant, *quas exequutio sententiae criminalis*, tormenta vel poenam criminalem irrogantis, *exigit*: harum denominatione reliquae veniunt, quae in criminis cuiusdam cognitionem impendendae sunt. Intuitu priorum regulam generalem stabiliuerunt, eas semper onus iudicis esse, nec vquam ex bonis inquisiti, licet reliquas ferre condemnetur, peti posse: posteriores vero ad diuersa reuocant principia. Ita, vt potiores quosdam saltim nomen, docet KRESS in *comm. ad C. C. C. art. 204. §. 24.* BOEHMER in *diff. de expensis criminal. cap. 2. §. 14. et cap. 3. §. 2.* ENGAV in *elem. iur. crim. libr. 2. §. 377.* KOCH in *instit. iur. crim. §. 989. 991.* MEISTER in *princ. iur. crim. §. 894. 895.* DE BOEHMER in *medit. ad C. C. C. art. 204. §. 1.* et QVISTORP in *den Grundsätzen des peinl. Rechts. §. 812. 813.* Distinctionem ipsam exhibet etiam PVETTMANN in *princ. iur. crim. §.*

1067.



1067. quaestionem vero, vtrum huius generis sumtus iudici principaliter incumbant, silentio praeterit.

- a) Antiquiores ICtos hanc distinctionem ignorare, ex iis patet, quae CARPZOV in *pract. crim. Qu. 138.* et BEIER in *diff. de expensis executionum criminal. Cap. 3.* tradiderunt. Quisnam primus eam in ius criminale introduxerit, affirmare non audeo.

### §. 2.

Auctoritatem nacta est haec doctrina adeo vniuersalem, vt inter recentiores ICtos, quotquot mihi quidem euoluere licuit, vnicum b) tantum inuenerim, qui ab ea recedere non dubitauit, HEISLERVM nempe in *diff. de expensis criminal. in processu inquis. §. 10. sqq.* Hic enim in accusatorio processu, quantum ex iis perspicere licet, quae §. 11. et 12. dixit, sumtus torturam concomitantes eadem ratione, ac reliqui, iudici imponit, aliter vero de sumtibus exequutionum sentit: et in inquisitorio processu eam vtroque casu penitus exulare contendit c).

- b) In partes suas quidem vocauit HOMMELIUM in *diff. de paniculariis ceterisque damnatorum bonis, vt et de expensis criminalibus e bonis reorum vel subditorum subministrandis §. 43*: verum ille cum HEISLERO non omnino conuenit. Sumtus quidem executionum iudicem onerare docet: sed ad probandam hanc thesin expressis verbis prouocat ad *mandatum regium d. d. 27. Iul. 1719*; vnde merito concludere licet, eum nonnisi de iure Saxonico Electorali loqui. Haec quoque sine dubio ratio est, quod nec Doctorum contrarium asserentium vllam fecerit mentionem, nec aliud argumentum quoddam asserti, secundum ius commune non omnibus probati, addere necessarium duxerit.

A 3

c) Eo





- e) Eos tamen §. 10. *not.* etiam in processu inquisitionis excipit sumtus, qui non unice tantum executioni inseruiunt, sed in pluribus usum praestant: hosque ad onera iurisdictionis criminalis a iudice ferenda pertinere existimat.

### §. 3.

Iam pridem displicebat communis doctrina; examinatis autem, quae HEISLERVS aduersariis opposuit, argumentis, nec his omnino calculum adicere potui. Liceat itaque in aliam viam deflectere. Persuasus scilicet sum, regulam istam, quod iudex sumtus torturae et executionum criminalium principaliter erogare teneatur, neque in accusatorio neque in inquisitorio processu locum sibi vindicare, sed omni potius fundamento destitui: hinc quoque separationem expensarum criminalium stricte sic dictarum a reliquis expensis processus criminalis superfluum esse. Succinctam expositionem rationum, quibus, ut a Doctoribus antea nominatis discedam, nec inuilem operam, nec lectoribus ingratam fore, spero.

### §. 4.

Qui doctrinam §. 1. expositam probant, plerumque ad so- lam C. C. C. prouocare solent: nonnulli tamen alia quoque argumenta adiecerunt. Ex Nemesi Carolina praecipue *art. 61. et 204.* ad stabiliendum hoc assertum allegantur: sed nec desunt, qui adhuc *art. 215. et 216.* in subsidium vocant *d)*. Singula haec argumenta suo ordine discutienda erunt.

d) E. g. MEISTER, et QVISTORP. *l. c.*

### §. 5.



## §. 5.

Verba *art. 61.* huc spectantia haec sunt. *Vnd soll inn disem fall,* quum scilicet accusatus, propter legitima indicia torturae subiectus, in negatione criminis perseveravit, adeoque absolendus est, *der anklüger alleyn sein kosten, vnd der beklagt dergleichen sein atzung, nachdem er seinem verdacht vrsach geben, auch entrichten, vnd die Oberkeyt die übrigen Gerichtskosten, als für den nachrichter vnd andere diener des Gerichts oder gefengknus halber selbs tragen.* Qua ratione vero inde derivari possit, quod sumtus torturae diuersam a reliquis sumtibus iudicialibus naturam habeant, et tunc etiam ad iudicem pertineant, quum hi ab accusato vel inquisito soluendi sunt, ne penitus fugit.

## §. 6.

Tres species expensarum hic distinguit Imperator, eas scilicet, quas accusator impendit, alimenta accusati, et reliquas cuiuscunque generis. Hanc distinctionem autem cum ea, de qua mihi sermo est, plane non conuenire patet. Deinde quidem sancitum est, in casu supposito iudicem sumtus iudiciales et inter illos etiam sumtus torturae ferre; sed inuita profecto Themide regulam §. I. propositam inde elicies.

Primum enim expensae, quae ex praescripto huius articuli iudici assignantur, non illae solae sunt, quas tormentorum applicatio exigit, sed omnes omnino, quas vel iudex ipse fecit, vel personis ad iudicium pertinentibus sportularum nomine soluendae sunt. Nullae prorsus excipiuntur, nisi expensae accusatoris et alimenta



8

menta rei: reliquae omnes sine vlla restrictione iudici impositae sunt. Commemoratur quidem inter illas etiam merces carnificis, sed exempli loco generaliori sumtuum iudicialium denominationi subicitur, vna cum sportulis aliorum ministrorum iudicii, et sumtibus custodiae, qui ad expensas torturae nullo modo referri queunt. Quodsi, vi huius dispositionis, expensae quaedam a iudice *principaliter* soluendae essent, non expensae torturae solum, sed omnes potius iudiciales huc referendae forent.

Sed et alia accedit ratio maioris adhuc momenti, quae hanc legem allegantibus obstat. Loquitur enim Imperator in hoc articulo de eo tantum casu, vbi reus innocens iudicatus et absolutus est. Hunc in expensas non condemnari, et aequitati et principiis iuris congruit. Ast longe aliter se res habet, si inculpatus crimen confitetur aut illius legitime conuincitur. Tanta innocentem inter et eum, de cuius crimine constat, differentia intercedit, vt quae in illius fauorem leges statuerunt, ad hunc extendere nefas foret. Mirandum sane, omnes, qui hunc articulum laudant, insigne hoc discrimen aut non animaduertisse, aut saltem rationem non protulisse, cur dispositionem hanc ad eum, qui propter crimen perpetratum meritam poenam luere condemnatus est, applicare non dubitauerint.

Nisi ergo, quae diserte de omnibus expensis iudicialibus dicta sunt, sine fundamento adaequato ad expensas torturae restringere velis; aut ab innocente ad facinorosum consequentiam ducere tibi permittas: frustra in hac lege praesidium quaeres.




## §. 7.

Aliam viam ingressus est HEISLERVS §. 12. vt hoc argumentum ex art. 61. C. C. C. desumptum e medio tolleret. „Ita „quidem Imperatorem in processu accusatorio constituisse, regerit, „hoc vero ad processum inquisitorium, de quo lex plane non loquitur, minus recte applicari, contendit. Extensiuam, pergit, interpretatio locum hic non habet, quum lex durissima sit, et ab aequitate naturali quam longissime aberrans. Intolerabilis foret conditio iudicis ex officio inquirentis, qui multis aliis premitur incommodis, in processu accusatorio in accusatores cadentibus, si damnosa adhuc esset adhibita in administratione officii diligentia. Secus omnia in eo se habent, qui criminis postulatus est: is sua culpa plerumque in angustias iudicii criminalis praecipitatur; adeoque aegre ferre non debet expensarum criminalium damnum. Et licet, quod rarissime contingit, indicia contra eum surrexerint mere fortuita, infortunium dolere, neutiquam vero in iudicem reiciere debet, ad quem plane non pertinet.“ — Sed vereor, vt haec argumenta omnibus satisfaciant. Durities atque iniquitas, cuius hanc legem arguit, ex dictis non apparent. Facile concedent aduersarii, iudici imputari non posse, quod inquisitionem instituire necesse fuerit: sed nisi affirmare audeas, iudicem semper ab onere expensarum criminalium immunem esse, quoties culpa caret, argumentum claudicat. Accedit, quod, si iurisdictionem patrimoniale[m] exceperis, iudex sumtus inquisitionum regulariter non ex propriis soluat, sed aerarium publicum illos subministret: tum vero durum dici nequit, expensas publicae utilitatis causa factas ab omnibus quoque suppeditari. Et licet iudicem ipsum has expensas

B

ferre





ferre oporteat, onus tamen iurisdictionis subsidiarium sunt, quod in alium rejicere fas haud est, et fructibus iurisdictionalibus quodammodo compensatur. Concedent porro aduersarii, dari casus, ubi inquisitus ipse suspitionem occasionem praebet: negabunt vero, indicia per torturam purgata sufficere, vt reus in expensas condemnatur. Eum, quem quidem sua culpa suspicio premit, quem vero cognita causa iudex innocentem declarat, satis iam punitum dicent, quod squalorem carceris forsitan diuturnioris pati, impensas in alimenta et defensionem erogare, disturbancem rei familiaris et imminutionem existimationis ferre, ipsaque tormenta sustinere oportuerit. Omnis vero aequitatis praetextus tunc deficit, ubi inquisitus ipse indiciorum causa haud reperitur: quo casu durissimum foret, calamitati illius onus adhuc addere, quod leges ipsi non imponunt. Longe aequiorem itaque Imperatorem praedicabunt, qui nocentem et innocentem pari modo plecti noluit. — Abstineri igitur ab his rationibus, quae in utramque partem disceptari possunt e).

- e) Huius non est loci, immorari quaestioni, quatenus ea, quae in C. C. C. de processu accusatorio sancita sunt, ad inquisitorium applicari possunt. Nobis sufficiat, *art. 61*, siue de accusatorio tantum agat, siue ad inquisitorium extendi queat, utroque casu argumentum iustum non exhibere.

### §. 8.

Alter articulus, ad quem vulgo prouocant, est *art. 204*. Praemittitur in illo generalis *f)* admonitio de minuendis et exequandis, quantum fieri potest, expensis quibuslibet; addita ratione, ne quis  
pia




piam ultra modum grauetur, criminis insimulati meritam euadant punitionem, et leges ob formidinem expensarum immodicarum inanes reddantur. Hanc generalem dispositionem excipiunt duo specialiores. Prior quantitatem eius, quod accusator pro alimentis et custodia accusati solvere tenetur, determinat. Secunda, g) quae opinioni, quam impugno, occasionem dedit, huius est tenoris: *Vnd was aber sunst Gerichts vnd ander kosten auff besetzung des Gerichts, der Schöffen oder Vrtheyler kostgelt, auch Gerichtschreibern, bütteln, thürhütter, nachrichter vnnnd seinem knecht aufstauffen würde soll durch des Gerichts, oder desselben Gerichts Oberkeit ohn des klägers nachtheil bezalt werden.*

f) Substiti in voce; *solcher*, quod sub initio articuli occurrit, et primo intuitu restrictionem quandam inuoluere videtur. Verum licet non omnino liqueat, quorsum referenda sit, nihilo tamen minus restrictionis causa insertam esse non existimo. Quantum coniecturando colligi licet, aut ad inscriptionem articuli respicit, aut ad passum quendam, qui prima delineatione continebatur, postea vero omisus est. Hanc coniecturam quodammodo iuuat comparatio C. C. Carolinae cum *Bambergensis*. In illa articuli 199. 200. 201. 202. et 203. cum articulis 225. 226. 227. et 228. huius exacte conueniunt. Hos in *Bambergensis* ab art. 229. usque ad 249. excipit processus banni contra homicidam, quem Carolina omisit. Sequuntur inde ab art. 250. ad art. 263. variae decisiones speciales circa expensas criminales, in quorum locum solus art. 204. in Carolinae substituitur est, cuius art. 205. ordinem restituit, quem *Bambergensis* art. 264. sqq. habet. Facile itaque fieri potuit, vt in prima delineatione Carolinae quaedam capita ex iis retenta fuerint, quae *Bambergensis* in art. 250. — 263. exhibet, et iis postea deletis, verbum *solcher* per incuriam neglectum sit.

B 2

g) Ter-





g) Tertiam dispositionem specialem huc pertinentem in subsequenti art. 205.

### §. 9.

Verum ipsa verborum inspectio iam docet, hanc dispositionem aduersariis haud fauere. Diuersitatem sumtuum executionis et torturae a reliquis, quae in processu criminali obueniunt, nullo modo inde elicies. Loquitur hic passus de omnibus omnino expensis, quae ad constituendum iudicium criminale requirantur; et personis ad iudicium pertinentibus salarii vel sportularum nomine soluendae sunt: et in his nulli discrimini locum dedit. Distinctio itaque proposita hac lege plane non iuuatur. Sed nec magis regula, ob quam distinctionem istam commendant, inde probari potest. Quas commemoravi, expensas ab accusatore posci vetat, ab hoc vero ad reum condemnatum consequentiam non valere, in aprico est.

### §. 10.

Nec hic mecum sentientem inuenio HEISLERVM. Bina sunt, quae §. 11. ratione huius articuli monuit. Primum regerit, hunc quoque articulum ad accusatorium processum respicere, non ad inquisitorium. Sed respondebunt alii, extensiuam interpretationem locum habere, vbi diuersitatis ratio reddi nequit; id quod et ipse §. 12. concedere videtur. Deinde opinatur, hunc textum non definire, cui cognita causa onus soluendarum expensarum in sententia definitiua imponi debeat, sed de interimistica illarum suppeditione



teitione, quae pendente lite sit, intelligendum esse. Interpretationem hanc rationibus haud contemnendis *b)* suffulciri, et consuetis explanationibus praefendam esse, lubens fateor: sed argumenta ad eum euidetiae gradum, qui plene conuincit, perducere posse, despero. Ea vero argumenta, quae in dubium adhuc vocari possunt, merito negligimus, cum alia in promptu sunt.

- b)* His tamen non annuero assertum, articulum hunc, nisi de praenumeratione accipiatur, nimium probare, quum expensas processus criminalis pari ratione in iudicem deuolueret. Aliam adhuc dari interpretationem sat conuenientem, docent inspectio legis, eiusque, quam §. 9. exhibui, explicatio.

## §. II.

Superfunt *art. 215. et 216. i)* a plurimis iam neglecti. Posterior ne verbum quidem, quod ad quaestionem propositam vllomodo trahi possit, continet. Prior vero, de exstruktionepatibuli agens, obiter quidem monet, sumtus huius operis *ab accusatoribus* exigi non posse. Sed quid hoc in controuersia nostra decidet? Quis est, qui ab accusatore ad condemnatum reum, aut ab exstruktionepatibuli ad reliquos sumtus exequutionum argumentum ducat? Merito itaque a reliquis omittuntur.

- i)* Verba concernentia *art. 215.* et hic adseribo, vt cuilibet primo intuitu pateat, ea, quae dixi, a veritate haud aliena esse. Monet Imperator, formalia in exstrukendis et reparandis patibulis consuetanimis impensis occasionem praebere, et adiicit, quod *sölcher unkoßt je zu zeitren auff die jenen, so eynen übelthäter peinlichen beklagen,*



mit noch mehr unbillichkeit geschlagen wirdt. Immauto itaque numero opificum et mutata mercede illorum pristina in eyn gewonlichen taglon. das ju derselbig Gerichts Herr obn der kläger schaden bezalen soll, simul alteram iniquitatem correxit. Et haec verba sola sunt, quae ex his duobus articulis huc trahi possunt.

### §. 12.

Quae hucusque disputavi, abunde euincunt, doctrinam vulgo receptam in legibus, quibus superstructa perhibetur, nullatenus fundatam esse. Licet vero plurimi nihil, nisi leges hactenus sub examen vocatas probationis gratia allegent, duo tamen ad stabilendam hanc thesin argumenta adducta reperi, de quibus, ne quid praetermittam, adhuc agendum erit.

### §. 13.

Primum est, quod post plures alios exhibet MEISTER. l. c. §. 895. n. b., qui, nihil aequius est, inquit, quam ut ei, qui commodum iurisdictionis criminalis percipit, etiam incommodum imponamus. Concedere possem hoc argumentum, salva mea thesi, quam petito principii sit, erogationem horum sumtuum *principalem* ad incommoda iurisdictionis referre. Sed ulterius progrediamur. Commoda iurisdictionis regulariter tanta non sunt, ut onera exaequent: aequitas ergo poscit, ut, vbi aliunde salva iustitia hae expensae peti possunt, ibi iudex non grauetur, adeoque *in subsidium* tantum illum onerent. Agnoscunt aduersarii hanc praestationem

nem



mem subsidiariam in expensis processus criminalis: sed rationem diversitatis in expensis criminalibus stricte talibus demonstrare haud valebunt. Eadem ergo in vtroque casu decisio erit. Vitium argumenti ex iis, quos §. I. allegavi, auctoribus iam vidit DE BOEHMER, in *Medit. ad C. C. C. art. 204. §. 1.*

### §. 14.


Alterum *k)* suppeditat KRESS ad *Art. 204. n. 1.* his verbis: *Durum omnino est, delinquenti poenae capitalis executionem, vitae ademptionem, cruciatus corporis, ne quidem gratis contingere posse, sed certo pretio soluto constare. Non aliter, ut aliquando rusticis accidere solet, a quibus milites pretium quoque pro arundine hispanica, quam, dorsum miserum crudeliter percutiendo, dirupuerunt, exposcunt. Allegasse sufficet argumentum hoc adeo ficulneum, ut refutationi operam impendere superuacaneum foret,*

*k)* Inuenies *b. 1. et §. 15. n. 3.* adhuc argumenta adminiculantia ex veteri proverbio: *Mir dem Hats bezahlt man alles*, ex antiqua Germaniae consuetudine, cuius Hertius meminit, ex iure Prov. Saxonico eiusque Glossa, nec non ex iure Lubecensi, Austriaco et Bavarico petita: sed haec omnia in foro iuris communis deficientibus aliis non attendenda esse, per se patet.

### §. 15.

Miratus sum, neminem eorum, quos ego consului, ad ultimum illud refugium, quod, si alia ratio solida asserti reddi nequit, amplecti





amplecti solent, vsum scilicet fori, *den Gerichtsgebrauch*, prouocasse: quum tamen deficere non possint exempla rerum iudicatarum, doctrinae adeo vniuersaliter receptae conformia. Licet enim in iure ciuili argumentum a communi vel communiore opinione defuntum, quod cum eo, quod in criminalibus ex utroque fori deducitur, vnum fere idemque est, iam dudum prostrigatum sit; licet nec defuerint magni nominis Iureconsulti, qui vanitatem huius argumenti in criminalibus agnouerint, ex quibus exempli causa LEYSERVM in *Meditat. ad Pand. Sp. XI. m. 7.* nomino: nouissima tamen scripta ad ius criminale pertinentia probant, non vilem adhuc hodie eius auctoritatem credi 1), vsumque fori in multis capitibus laudari. Ne igitur hunc sententiae meae obstare quis existimet, hac data occasione breuibus euoluere oportebit, quidnam de hoc argumentandi modo statuendum sit.

- 1) Ratio in eo quaerenda videretur, quod *Constit. Crim. Carolina* interpretatione supplementis et passim etiam emendatione Doctorum indigeat; adeoque non omnia iuris criminalis capita ad amissum huius legis revocari queant. Vbi ergo vel tempus vel subsidia desunt, completum reliquorum argumentorum inuestigandi et examinandi, quod saepius difficultate haud caret, auctoritas Icti cuiusdam celeberrimi laudatur.

### §. 16.

Me quidem iudice decisio vnice dependet a diuerso significato vocis. Hanc si probe distinguamus, in re ipsa facile consentientes erimus. Denotat I) *ius consuetudinarium*. Hoc casu nemo inficias ibit, vsum fori auctoritate legis pollere: verum expedi

diti



ditū non minus iuris est, ius consuetudinarium per testimonia doctorum aut praeiudicia quaedam diuersorum iudiciorum haud probari. Porro negari nequit, eiusmodi ius non scriptum ad illud forum tantum pertinere, vbi consuetudine requisitis legalibus innixa receptum est: ad alia iudicia non pertinet, et in iure criminali vniuersali locum non aliter inuenit, nisi per vniuersam Germaniam, quousque C. C. Carolina adhuc norma sententiarum est, obtinere probetur. Denotat 2) *obseruantias collegiorum iuridicorum*. His, maxime in quaestionibus arbitrariis et absolute dubiis vtilitas non deneganda est: sed haud raro fit, vt diuersa collegia diuersas quoque obseruantias sequantur, et extra collegium merito negliguntur, quatenus rationibus iustis carent. Denotat 3) *effata Iureconsultorum*. Haec aut rationibus idoneis firmantur, aut nullis omnino vel exiguis saltim argumentis stipata sunt. Priori casu argumentorum pondus spectandum est, et parum refert, vtrum vnus an multorum Doctorum approbationem meruerint. Nulla prouocatione ad vsum fori hoc casu opus est, quum effatum rationibus adductis satis defendatur; nisi quatenus assensus eorum, qui allegationibus nimium tribuunt, uel ipsi de argumentis recte iudicare nequeunt, desideratur. Posteriori vero casu consensus sexcentorum Doctorum tanti non est momenti, vt asserto calculum nostrum adiiciamus, quod legum atque rationum praesidio destitui, coniecti sumus. Denotat tandem 4) *sententiarum* in collectionibus occurrentium *conformitatem*. His idem pretium statuendum est, quod doctorum enuntiat. Vbi rationibus decidendi innituntur sufficientibus, ibi ex iisdem rationibus eadem decisio ferenda, nullo habito respectu ad conformitatem aliarum sententiarum. Vbi vero rationes deficiunt, ibi exempla fundamento





fat stabili destituta, quantuscunque eorum sit numerus, sequi nefas foret.

### §. 17.

Applicatis his principiis ad quaestionem nostram, illico apparebit, inanem fore prouocationem ad usum fori. Consuetudinem vniuersalem nemo eorum, quos euolui, allegauit aut probauit. Observantia collegiorum, si quae adsit, iisdem sine dubio principiis innixa erit, quae in scriptis Iureconsultorum reperiuntur. His itaque reiectis ab eiusmodi obseruantis recedere licet, Iureconsultos recentiores fere omnes aliam fouere sententiam, eamque in feren- dis decisionibus saepissime sequutos esse, fateor: sed horum argu- menta examinando minus idonea deprehendi. Nisi ergo, quae in contrarium adduxi, improbes, dissensum aliorum non curo,

### §. 18.

Vitio itaque mihi non vertes, quod a tot tantisque Viris dis- sentiam. Merita illorum nec ignoro nec parui facio: sed tanti non est auctoritatis praeiudicium, vt veritati cedat. Quodsi non habes, quod rationibus, quas exposui, opponas, iam in eo mecum consen- ties: delendam esse in compendiis iuris criminalis hanc distinctio- nem otiosam, et cauendum, ne, regulam exinde natam sequentes, iudici onus assignemus, quod leges ipsi haud imposuerunt; princi- pia potius, quae in reliquis expensis criminalibus obtinent, in iis etiam seruanda esse, quae tormenta et executiones <sup>m)</sup> exigunt, do- nec



nec argumenta maioris momenti proferantur, quae diuersam vtriusque speciei indolem demonstrant.

m) Nonne vero excipiendae sunt, quae pluribus actibus inseruiunt, e. g. sumrus in extractionem patibuli impensi? Non videtur, nisi ultra necessitatem et modum factae sint. Quum enim sine illis poena executioni mandari nequeat; et obligatio ad praestandam indemnitate, quae ex delictis oritur, beneficium diuisionis respuat: tanto magis et hic in solidum obligabitur condemnatus, quanto incertius est, quor executionibus in posterum inseruiturae sint, et quanto facilius accidere potest, omnes, quorum punitioni postea vsum praestant, his sumtibus refundendis impares esse.

PVBLICE AFFIXVM SVB SIGILLO RECTORALI,  
DIE XXV. DEC. CLD. ID. CCLXXXI.










ULB Halle  
004 517 601

3




TA → OL **f**  
nur 1+8 verknüpft










DE  
EXPENSIS CRIMINALIBVS  
STRICTE SIC DICTIS

COMMENTATIO.



SVBIVNCTA  
ADHORTATIONI CONSVETAE

AD

PIE CELEBRANDOS DIES  
FESTOS,

MEMORIAE


NATIVITATIS SALVATORIS  
NOSTRI

DICATOS,

A

IOANNE CHRISTIANO  
ESCHENBACH,

I. V. D. ET P. P. O.  
ACADEMIAE PER HOC SEMESTRE  
RECTORE.



ROSTOCHII,  
LITTERIS ADLERIANIS.



P 428.

7  
1781, 7.

